



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

287. An mortuo Episcopo consequi debeat salarium pro tempore, quo vixit
Episcopus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Quaestio 286. An Vicario generali debeatur quoque salarium, dum is est Canonicus, & de sua prae-benda commode vivere potest?

Resp. Deberi ei nihilominus salarium, non secus ac externo assumpto in Vicarium. Sbroz. l. 1. qu. 55. nu. 7. ubi etiam, quod possit deducere expensas, quas aliis domi facturus esset tanquam reputatus praesens & residens propter ecclesiam servitium, & l. 2. qu. 60. nu. 4. ex Pavin. de potest. Capit. sede vac. p. 2. q. 10. n. 4. qui etiam loquatur de Vicario Capituli sede vacante, idem tamen est de Vicario Episcopi ob eandem rationem; cum neque is gratis teneatur locare operas suas Episcopo.

Quaestio 287. An Vicarius mortuo Episcopo consequi debeat salarium pro tempore, quo vixit Episcopus?

Resp. Debere illum id consequi à Capitulo. Sbroz. lib. 2. qu. 55. nu. 3. cum Imol. in c. statutum. de elect. nu. 27. non tamen teneretur Episcopus successor Vicario praedecessoris sui solvere salarium, Sbroz. loc. cit. nu. 7.

Quaestio 288. An Vicario ignorantem revocationem seu expirationem sui Vicariatus debeatur salarium pro rata temporis post dictam expirationem?

Resp. Affirmative. Sbroz. lib. 3. qu. 35. ubi: Vicarius Episcopi, quamdiu revocationem sui Vicariatus, & successoris creationem ignorat, consequi debet salarium. Citat pro hoc Rebuff. in pr. de nominat. qu. 14. nu. 71. Roman. in L. diem functo. ff. de offic. Asses.

Quaestio 289. Unde solvendum Vicario salarium?

Resp. Teneri Episcopum ex Camera sua constituere Vicario suo salarium: Fagn. in c. quoniam. ne praelati vices suas. nu. 8. juxta c. charitatem. & c. quicumque. 12. qu. 2. & gl. 2. Innoc. Card. Butrio. Host. in c. praeterea. ne Praelati vices suas. Mortuo vero Episcopo, salarium pro tempore, quo vivente Episcopo deservivit Vicarius eidem, solvendum à Capitulo de bonis ecclesiae vacantis, Sbroz. l. 1. qu. 55. nu. 3. ex Imol. in Clem. statutum. de elect. num. 7. Ex poenis tamen & multis nulla portio assignari potest Vicario pro ejus mercede. Fagn. in c. presbyteri. de penis. nu. 36. sic responsum testans à S. Congregatione Concilii. Sed neque in reparationem domus Vicarii quicquam insumi posse ex hujusmodi poenis pecuniariis, censuisse eandem S. Congregationem, ait Fagnan. loc. cit. num. 38. ubi etiam, quod licet Papa quandoque ex gratia concesserit Episcopis pauperibus facultatem, eas poenas in certa summa in reparationem Episcopalis palatii erogandi, plerumque tamen eam denegavit. Proceduntque haec omnia multò magis in illis poenis pecuniariis, quae à SS. Canonibus, vel Synodalibus statutis pro delictis ad certam quantitatem non sunt praefinitae, sed ab Episcopi arbitrio dependent, vel

per sententiam, nullà precedente Canonum, vel statutorum Synodaliū determinatione imponuntur, ait Fagn. loc. cit. nu. 39. eò quòd has poenas pecuniarias omnes S. Congregatio, etiam in statu egestatis Episcopi, censuerit indistinctè nequaquam aliis, quàm piis locis & usibus esse applicandas, non obstante contrarià consuetudine.

PARAGRAPHUS II.

De Expiratione Vicariatus.

Quaestio 290. Quot modis expiret Vicariatus?

1. **R**esp. Exspirare officium & jurisdictionem Vicarii generalis Episcopi variis modis. Ac primò quidem per mortem Vicarii naturalis; mors enim omnia solvit. Pirh. ad tit. de offic. Vicar. nu. 68. Non tamen per mortem illius, aut Episcopi, aut quamcunque aliam amotionem propriè vacat Vicariatus; cum, ut dictum aliàs, non sit beneficium. Laym. in c. statutum. de rescript. nu. 5. Azor. loc. cit.

2. Secundò per renuntiationem expressam vel tacitam factam ab ipso Vicario, v. g. dum è diaceli discedit, in qua constitutus erat Vicarius, animo non redeundi. Fagn. in c. praesentata. de testibus. nu. 10. & ex eo Pirh. loc. cit. eò ferè modo, quo legati Pontifici munus legationis exspirat, si provinciam sibi commissam egressus sit animo non redeundi. argumento l. 3. ff. de off. Praefidis. Fagnan. loc. cit. citatis gl. in c. praesenti. de off. Legat. in 6. v. finitur. Villadiego tract. de legat. qu. 15. n. 7. Gambar. eod. tract. l. 9. n. 5. Idque absque eo, quòd Vicarius revocatus exiit è diaceli. Nam etiam datur (quod tamen negat Fagn. loc. cit.) ut volunt Hostiensis. in c. novit. de off. Legat. & qui eum sequuntur, Archidia. Jo. And. in c. praesente. tit. eod. in 6. finiri officium legationis legato non solum egresso è provincia, sed etiam revocato: adhuc tamen aliud est in Vicario Episcopi, differentia consistentem in hoc, quòd ut citati Auctores velint, ideo per solum recessum à provincia animo non redeundi non exspirat legatio; quia legatus compelli possit etiam invitus ad munus legationis obeundum & continuandum, & hinc, sicut expressè renunciare nequit legationi, ita nec possit tacitè eidem renunciare per egressum è provincia; cum, qui potest expressè renunciare, egrediendo è loco, in quo eam exercet, animo illuc non redeundi, censetur et renunciare. E contra vero Vicarius Episcopi, cum invitus compelli nequeat ab Episcopo (praesertim ubi ei non erat subditus) ad suscipiendum officium Vicarii, sed potius cogi deberet ad residentiam in loco beneficii sui, sequitur, ut, sicut ipse expressè resignare poterat Vicariatus, ita egressus è diaceli animo extra eam perpetuò manendi, eidem Vicariatus tacitè renunciassè censetur. Fagnan. cit. num. 10. id ipsum num. 11. confirmans per textum cap. praesentata. de Testibus. ubi probatur, eum, cui mandata est jurisdictione, si de loco recedat, ubi erat exercenda, & ad locum, in quo tenetur residere, proficiscatur, non habere amplius jurisdictionem. Unde etiam

Card.